



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXVIII. Captivitas Domini nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ô si statim adveniat ! ô si omnem vitam in hoc amplexu , & in hoc amore consumam ! Doleat tibi , Domine , perditio ac cæcitas hujus animæ tam ab illo remotæ , ô amor meus , ac spes mea !

Regina Angelorum , ancilla fidelis , & amatrix sincera hujus Domini , mater & refugium peccatorum ! impetra mihi amicitiam ejus , & ab alia quacunque me remove. O Palatini cæli , qui solo amore hujus Domini vivitis , & ordinatè in eo diligitis omnia , impetrate mihi beata hæc vincula , quibus amori ejus semper adstricti tenemini. Amen.

Æ R V M N A - X X V I I I .

Captivitas Domini nostri.

I.

Rimum malum , quod simulata amicitia Judæ ^{Judas ex} Domino creavit , fuit ejus indigna & injusta captivitas : ^{Apostolo} in qua se proditor gessit pro duce ; ut qui ^{proditor,} timorem Dei & pudorem animo jam ejecerat. Neque adeo mirum est , Apostolum brevi in tam enormia prolapsum esse , cum à Deo sponte recesserit : quia usus docet , non esse peiores in mundo , quàm qui defecerunt à fide Catholica , frena laxando vitiis ; vel ^{omnium} deseruerunt perfectionem vitæ Evangelicæ , reversi ad profanam , ^{hpostata-} cui priùs renunciaverant. Omnes hi vexilla Judæ sequuntur , ut qui ^{rum ante-} sprætâ domo & servitio Dei , respuentes fontem aquæ vivæ , os ad- ^{signatus} movent putidis & venenatis aquis carnis , mundi , sathanæ. Magis admirandum , quòd non patrent majora. Sanè , si dux eorum Judas , clausis oculis ad lucem Divinam , & obturatis auribus ad verba vitæ aternæ , perditòque amore Dei , se mancipavit semel diabolo ; quid magnum est , ex Apostolo intra paucas horas evasisse proditorum , ac ducem lictorum ad capiendum Christum , cum monitis eum ducendi cautè , ne elaberetur è manibus ? Bonum est , cor tenere firmum in servitio Dei , magna cum diligentia , vigilantia & cautela : quia , si receperit libertatem , parùm profecerit , amiseritque pudorem ; non sustinet ampliùs esse ligatum . neque ampliùs timet frenum ; sed ad omne malum ruit cum tanta furia , ut sola Dei

manus & gratia possit in eo facere consueta sua mirabilia; sed aliquando sic affigitur suis vitiis, ut etiam renuat acceptare gratiam oblatam à Deo, nec ullo modo possit converti; sed obfirmatum ad malè agendum respuat omnia.

*Judais cal-
lidè Jesum
tradit.*

II. Nota erat Judæ consuetudo Christi, nocte appetente Jerosolymis exire in hortum Gethsemani, ubi quies & solitudo commoditatem orationis, totâ nocte peragendæ, præbebat. Et credibile est, Dominum præscium eorum, quæ illic sibi eventura erant, crebrius & libentiùs eò itavisse: ubi Judas nôrat opportunum fore, ut solus, absque strepitu populi, atque tumultu capi posset; neque sine peculiari affectu erga locum, in quo daturus esset sui conflictûs initium. Ergo proditor cum Pharisæis & multitudine ministrorum, armis & laternis instructorum, unde postea faces accenderent, silenter egressus urbe, monet eos, ut agant cautè; quia cum mago sit eis negotium, qui jam aliàs factus invisibilis è manibus eorum sit elapsus. Quare injungunt lictoribus, ut eum arctè ligent, & strenuè decerent contra quemcunque, qui fortè conaretur eum eripere. Ubi credibile est, ab hac profana gente multa utrinque à Pharisæis & ministris promissa non sine juramentis, & maledictis contra Dominum; quæ quidem cum dolore cogitari, sed exprimi verbis non possunt. Judas autem, qui nôrat, omnem industriam & vim frustra fore, si Christus capi non vellet, protestabatur, se fidem suam liberaturum, si, ut promiserat, eum tradidisset illis in manus, quidquid postea eveniret. Et quia inter eos multi Dominum haud nôverant; & si nôssent, in tenebris facilè poterant aberrare, ipse illis pro tesserâ dedit, illum fore, quem osculaturus esset; & sic eos antecessit. Hæc studia & occupationes Judæ fuerunt, dum mitissimus agnellus inter lacrimas & copiosum sudorem sanguineum, flagrans amore ejusdem, cum Patre aeterno de remedio, & salute generis humani tractaret.

*Christus
fortitudi-
nis, & con-
stantia
exemplum*

III. Sciens Jesus, adesse jam horam, quâ veniret in manus hostium appropinquantium, cum secum haberet discipulos, jam excitatos à somno, ad dandum eis exemplum fortitudinis, & constantiæ, quâ suos olim labores amore sui adire deberent, sibi immisos à Deo; & obedienciæ, quâ parendum est ordinationi

Divinæ

Divinæ, quantumvis arduæ: non expectato Juda, dum militibus ipsum ostenderet, aut hi ipsum quærent, ultrò cordatè processit obviam, & interrogavit, quem quærant. Et quamvis decrevisset permittere se capi, voluit tamen priùs illis ac discipulis ostendere suam virtutem Divinam, & quod omnis malitia & astutia humana contra se nihil posset: in documentum omnium electorum, ut nôrint, libera sua voluntate, & amore erga homines, captum se fuisse, quomodo, & quando volebat: ac proinde soli amori Divino, & non humanæ industriæ tribuendam suam passionem: deniq; ut omnem excusationem adimeret eis, qui ad se capiendum venerant: ipsique cogèrentur testari, se nihil contra eum potuisse; & sic malum suum propositum agnoscerent ac retractarent: cum dixissent, se quærare Jesum Nazarenum, respondit, Ego sum. Tam potens fuit hoc verbum, ut Judas, Pharisei, milites & ministri subito retrorsum acti corruerint in terram, quasi fulmine tacti. Poterat sanè tunc abire Christus, & solita sua miracula demonstrare: sed contentus ostendisse, quàm nihil contra se possent, permisit eos surgere: & cum denuo interrogasset, quem quærant, ac respondisset, se esse; præcepit, ne quemquam è discipulis tangerent aut læderent: licet enim pateretur Pastor, non tamen gregis sui curam deposuit. Quod ipsum non levi miraculo fuit, neminem prorsus illorum fuisse ab ullo tactum, quod in simili promissimum erat. Sed lædere non poterant, quos Dominus ipse servabat.

*Vana est
omnis astu-
tia homi-
num*

IV. Noluit tamen Christus tam citò vinciri, ut non priùs comiter loqueretur cum principibus Phariseorum & Sacerdotibus templi, intentis negotio tam indigno suo ordine; interrogans eos, quare sic venirent nocturno tempore ad se comprehendendum cum armis & facibus, tanquam ad latronem, cum quotidie fuerit apud eos publicè docens in templo. Ad hoc illi non habuerunt, quod convenienter possent respondere: sed neque tantum animi fuit illis, ut auderent eum attingere; donec protervia Malchi, servi summi Sacerdotis, occasionem dedit novi miraculi. Is cum audaciùs aggredi conaretur Dominum, Petrus ut staret magnificis suis promissis, & fidem suam contestaretur, licen-

*comiter, &
ma su tu-
do Christi.*

licentiam petivit utendi gladio; nec expectato responso, caput hominis petens, ictu aberrante amputavit auriculam dextram: quam tactu suo Dominus illico sanavit, ac Petro præcepit abstinere vi, dicens: Calicem, quem dedit mihi amantissimus Pater, non bibam illum? & quomodo implebuntur prophetiæ, de quibus perhibent Scripturæ, faciendæ hæc esse? quid autem fiet misero generi humano, si ego id non redemero? ergo reconde gladium: ne, si quem gladio peremeris, incidas in manus ludicis, & capite luas. Quod si voluisses me defendere aliena virtute, facile à Patre meo impetrâssem auxilium, qui plus quàm duodecim legiones exercitus Angelici mihi misisset, toto mundo tremente, me defensuras. Recessit igitur Petrus, & reliqui discipuli omnes Domino solo relicto fugerunt: quod etsi per eorum timiditatem acciderit, ordinationis tamen Divinæ fuit, ut Christus pareretur solus.

Judas osculum.

V. Tum Christus ad Phariseos conversus, licentiam dedit eis faciendi, quod vellent: *Hæc, ait, est hora vestra, & potestatis renebrarum.* Confestim itaque Judas accedens ad eum dixit: Ave Rabbi; & osculatus est eum, sicut in Palæstina solebant amici. Quia enim Dominus eum inter suos receperat, non dedignatus est eum solita humanitate ad osculum, addens: Amice, ad quid venisti? osculo, signo amicitie, me hostibus tradis? Ubi nescias, utrum sit magis admirandum, duritiæ cordis humani resoluti ad malum patrandum, & remoti à Deo; an teneritudo Salvatoris & benignitas etiam erga eos, apud quos novit frustra se fore. Atque hoc meritò cuiusvis timorem incutiat, cum simus omnes ex eadem peccatrice propagine. Pergit Judas, quasi re bene gesta, cum nefaria cohorte, cum argenteis in crumena, cum diabolo in anima, paulò post alios in inferno socios habiturus. Ministri vero Judæorum tanquam rabiosi canes, manibus in mitissimum agnum injectis, quàm indignis modis eum tractaverint, nullius animus ausit velle comprehendere: ut eum prostraverint in terram, calcibus impetiverint, pedibus conculcaverint, manibus post tergum revinxerint tam arctè, ut exprimerent sanguinem; contumeliis & convitiis oneraverint, impostorem, magum, fanaticum,

Agnes inter rabiosos canes.

naticum, populi seductorem appellando; & alia, quæ summa eius malitia suggererat, cogitare quis potest? sed nec humo levâunt eum sine colaphis, & veslicationibus barbæ & capillorum, magnâ cum insolentiâ eum raptando ad ædes summi Sacerdotis, effundentes in eum virus odii, quod erga eum tam diu jam circumtulêrant: maximè cùm nihil veraret vel obsisteret eorum malitiâ. Mitissimus **JESUS** instar humilis agnelli inter hæc omnia non aperiebat os suum, neque contradicebat, pedibus incedens in terrâ, corde in cælo, invocando Patrem æternum cum lacrimis, quæ nocte illa dièque sequente fluebant perenniter, instar fontium, petentes misericordiam pro peccatoribus: & offerendo omnes injurias, ac verbera pro necessitatibus filiorum Adæ. Nulla res turbabat spiritum ejus, neque contristabat: & qui ante prælium tremuerat, contristatus usque ad mortem; in ipsâ pugna plus animi accipiebat à singulis, quæ patiebatur, novo ac recenti semper desiderio exhauriendi reliquam, quod restabat, perpetendum.

VI. In hoc, & reliquis articulis Passionis, habent devoti perapram materiam occupandi se, non modò in externis ac diris ærumnis Domini, sed multò magis in ejus divino corde, quod ardebat amore, ac natabat in immenso mari virtutis, bonitatis & misericordiæ. Qui considerant hæc tantùm in cortice, fructu non carent; quia hæc omnia impinguant animam: sed qui intrant in cordibus nostris habitare desiderat. amorem, & cor hujus agnelli, sic rapietur ab eo, sic immutabitur, sic tenebitur, ut bene sentiat suavitatem ac dulcedinem, quæ dimanat è ligatis his manibus. Et qui nondum agnoscit hæc bonam magna captivitatis istius, conferat se cum innocentia hujus Domini, & perpendat, quid ille patiatur, & nos meriti simus; quòdque si voluisset illa nos pati, ut veniam consequamur, tunc magnâ misericordiâ uteretur nobiscum. At cùm sua divina Majestas omnia receperit in se, nobis impunè abire permissis; nos frenâ licentiæ laxamus cordi & sensibus nostris, & nostra dissolutione illum arctius ligamus, nos autem obligamus ad miseras.

330
E X E R C I T I U M
De Captivitate Domini.

I.

Admiratio. **E**Cquis est iste, qui te capit, ô vera & segura mea libertas? quis te potuit ligare, bone JESU? quæ corda sunt tam barbara, ut modis tam indignis tractent hanc personam divinam, tam profanè & crudeliter capiant ac ligent? Tua suavitas, Deus cordis mei, convertit & mutat animas: tua modestia rapit corda: tua præsentia capit oculos, & spiritus te intuentium: beneficia & gratiæ tuæ tam copiosæ implent universam terram. Quomodo ergo tam feri fuerunt, ut manus auderent injicere filio DEI vivi? quomodo velut latrone pejorem, & maleficum, tot verbis injuriosis, tot colaphis ac sputis, tot vellicationibus barbæ, tam asfrictis vinculis, ut sanguis erumpat per ungues, cum tanto triumpho, tantâ furiâ te invadunt ac vincunt? Ac tu, vita animæ meæ! non tantum non fugis, aut absconderis, sed etiam procedis obviam ad excipiendos hostes, ac tradis in manus tuum sacratissimum corpus, prohibens discipulis, ne te defendant. Sanas tuis manibus auriculam Malchi, qui ad capiendum te venerat: non vis defendi ab Angelis paratissimis ad tuam tutelam; dimittis discipulos, nec aliud cogitas, quàm ut calicem à Patre æterno missum exhaurias, ad obedientiæ specimen, & remedium malorum nostrorum! ô sit tibi benedictio & gloria, spes mea, quòd etsi rogaveris Patrem, ut calix hic amarissimus à te transiret; nihilominus tanti facias obedientiam, ut aliud nec velis, neque desideres, nisi quod ipse vult; & promptum te, paratùmque exhibeas ad id, quod rantopere times. Et quia nihil aliud jam cogitas, quàm pati, abscondis tuam potentiam, ut inimici tui liberè possint agere tecum, quod volunt.

Obedientiæ amoris vinculum. **II.** O bone JESU, lux cordis mei! ostende huic animæ meæ vincula tua interna, quibus tam arctè adstringeris obedientiæ Patris æterni, & amoris erga nos homines. Absque his, ô amor meus! quisnam te potuisset ligare, & tam malè tractare? Ista sunt vincula, quibus teneris captivus, & objiceris malis, quæ suffers; ista te abjiciunt humi, & exponunt calcibus ministrorum sathanæ. Quare, ô vita cordis mei! non me sic alligas intus, quando fo-
ris

ris mecum dissimulas, & ligaris ipse pro me? quia verò vis pati solus, quod ego merebar, ut liber sim; cur, ô spes mea! libertate meâ non utor, nisi ad peccata, quæ tu luis?

III. Adoro vos, manus divinæ, quæ sic ligatæ ligatis ^{hæc manus} hostes meos. Adoro vos, vincula: laquei, vos adoro: adoro vos, ^{hostes} injuriæ, quæ tanta bona nobis impetrastis de cælo, ^{sata ligant} tantas misericordias ^{hostes no-} promeruistis. ô me infelicem! quantò meliùs ego essem ^{stròs.} ligatus, quàm liber eo modo, quo jam sum? per hæc vincula tua quæ pateris, humillimè tibi supplico, Domine, ut libereres me à meis, quæ me detinent tam longè à te. Tunc ego puto me liberum esse, mi Domine, quando nemo mihi contradicit; quando me omnes amant, & laudant; quando loquor, video, audio, quod volo; & quando bene & commodè tracto meum corpus, ac facio quidquid ipsi placet. At si inter mediam licentiam carnis, aut sub finem talium delectationum aliquâ inspiratione me voces ad tuam sequelam, egòque tecum agere velim, ô summe amor meus! qui es in omnibus locis, ego me reperio tam remotum à te, tam impeditum & vinctum; sentiòque tantam contradictionem, tot laqueos rerum vilium, qui me tenent, nodis penè insolubilibus adstrictum, ut videam tunc meam libertatem esse meram servitutem & carcerem: tunc video, quàm duri sint errores & ludibria passionum & affectuum, qui tenent me, & abstrahunt procùl à te. O sancta vincula! ô divinæ manus! miseremini huius libertatis captivæ, per quam te sequi & amare non possum. Quomodo bonum esse potest, quod facit, ut amittam te, qui meum summum bonum es?

IV. O infelices horæ, quibus fui liber ad mala! quia in ^{Infelix li-} illis invenio me servum ^{bertas ad} me ipsius, non tuum, ô bone JESU! ^{mala.} ô quando hæc res mutabuntur, ut videam me liberum à me ipso, & captum tuo amore? quando dirumpes catenas & funes, quibus abstrahor à te, & subjicior propriis malis? ô qui nunquam dedisset cor & amorem suum alteri rei, quàm tibi, amor animæ meæ! Non contentus, ô spes mea! quòd essem procùl à te, vinctus meis affectibus, nescius, quid agerem, notabili ingratitude ligavi hæc sanctissimas manus, quæ stringuntur arctiùs, & magis dolent,

quàm duris funibus. Tu, mi bone JESU! ligatis manibus capis & ligas diabolum, rumpis vincula meorum vitiatorum; subjicis pedibus meis omnes inimicos meos; & ad beneficiendum mihi semper extensas & apertas habes. Offers mihi continuò maxima bona: & ego recuso, oculis ad me ipsum & mundum conversis caelestes divitias tuas cum vilitatibus miserandis commutans: meaque ingratitude cogente tu retrahis manus, & vinctus manes, ne mihi conferas ea, quæ velles. Tu afflictus amore, at ego illo destitutus, & omni bono.

*Liberalitas
Dei, ingra-
titudinem
nostram sus-
perat.*

V. O divinæ manus, plenæ misericordiæ! quamvis ego nihil merear boni; major tamen est liberalitas ingratitude meâ & culpâ: nolite vos à me subducere. Non amisistis potentiam vestram in his vinculis: exserite eam in hac improba & infelice anima, pro cuius libertate estis ligatæ. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad te, mi bone JESU ac Domine! defixi in manibus tuis ligatis pro me, expectantes ab eis misericordiam. Vos precor, divinæ manus, vinctæ pro me, apprehendite oculos meos, ne amplius videant vanitatem: apprehendite linguam meam, & hos sensus meos, ne ita liberè vagentur per mala: apprehendite cor meum tam distractum, ne tractet amplius tot ineptias, neque occupetur tot nugis, à te separantibus. Pro omnibus, ô manus divinæ, habetis magnam bonitatem, pro omnibus plus misericordiæ, pro omnibus majorem potentiam. Si hucusque te fugi, Domine; ecce nunc redeo: si rupi suavita tua vincula; ecce nunc me toto corde tibi obstringo. Cape, & liga me, ut vis: dulces erunt mihi manicæ ac pedicæ: jucundæ tuæ catenæ, si me intus nexuerint, ô divinæ & charæ manus!

*Non abjicit
Deus,
quem fecit.*

VI. Sufficit, quòd peccavi; feci hucusque quod volui: posthac facite vos, quod vultis, divinæ manus! O qui nunquam è manibus istis exivisset: ipsæ me fecerunt, quomodo me abjicient? Recordare, DEUS meus, quòd hæc manus è luto me fecerint hominem vivum, & capacem tuæ cognitionis & amoris: per ipsas ego sum, quòd sum: ab ipsis omne mihi bonum provenit. Jam quia
nihil

nihil odisti eorum, quæ feceris, idem amor, qui te fecit capi, eripiat me à malis meis. Conserva, Domine mi, purga, reforma opus tuum; ut non pereat, quod ego corrupi. Pulchritudo vinculo-
rum istorum, est reformatio & liberatio animarum innexarum peccatis, ac tenet intus tibi devinctas, Et quia, Domine, tua creatura sum, tam cum peccavi, quàm si nunquam peccassem; recognosce, Deus meus, hanc miseram creaturam tuam: libera me à meipso, & alliga me tuæ legi & obedientiæ.

VII. O amor divine! quomodo apprehendis, cum accen-
deris in anima! quomodo alligas, cum ostendis animæ aliquam
partem pulchritudinis faciei tuæ divinæ! anima peregrina in
hoc mundo sine clara tui visione, per ea, quæ sentit & experitur
in hac vita cum tua gratia, quàm libera est à seipsa, & à vinculis
terræ, capta tuo amore? tam fortiter stringunt nexus amoris, ut
etiam gustum sensuum corporis mutes in te: quia in omni re
trahis animam ad te, & ad obsequium tui amoris. Si vult dor-
mire, tu excitas: si quiescere, tu occupas: si comedere, tu adimis
saporem: si conversari, tu retrahis: totam tenes captivam: totam
vis: omni re illam spolias: omnia ab ea defendis, semper amans,
semper zelosus: quia te totum das ei, etiam totam exigis: totum
te illi das, & totam apprehendis. Capta vivit contenta, & man-
cipata est libera, quia vivit in te, ac de te. O mea captivitas, & mea
custodia! ô mea vincula, & nexus mei, cur me non stringitis? in
te, amor divine, ac tecum capies eos, qui te amant: tu eos ligas, tu
spolias, tu custodis. Gerunt spiritum purum in carne humana, &
cum tua præsentia, & amore toti sunt transformati in te. Qui te-
cum est ligatus, quàm libertatem desiderat? ô quàm laxè habitat?
quàm liber est ab omni re? quàm contentus est? tu scis, amor
divine, vincula hæc esse digna, quæ desiderentur: & qui corde ac-
censo ad illa suspirat, non potest dicere, quod experitur. Noli esse
parcus, neque crudelis erga me; quia si mihi des, quidquid habes
absque te, nihil das mihi. Si me à te dimittis liberum, crudeliter
me castigas, & me tradis in manus inimicorum, Cape me, liga me,
ama me, & adure me, ô mi JESU!

*Animam à
vinculis
terræ libe-
ram amore
sibi metis.*

*Ejus absen-
tia pœnâ est
gravissima.*

VIII. O divine amor, quid agis in animabus, quas tenes captivas? qui sentit, dicat si potest. Sed anima mea tacta à te desiderat hunc statum, in quo magis ostendis potentiam tuam in humanitate infirma. Quando captis viribus animæ, ac transformatis in te, abscondis te, ac tegis suavitate tuæ præsentia, & nihilominus tenes tibi devinctas, non possunt contradicere, neque desiderare solatium extra te: quia ipsis unicum solatium est pati, ac tecum esse ligatum. O vita & amor animæ meæ, quàm divina est hæc operatio tua! desolati à te fugiunt amici: non audent aliud cogitare nec petere à te, ut eos consoleres: nesciunt aliud velle, quàm bibere tuum calicem, sicut tu bibisti. O quomodo regnas in his cordibus? ita fugiunt consolationes terrenas, sicut alii fugiunt ærumnas. Ita timent à te separari, cum sine cruce sunt, sicut infirmi habent se pro derelictis à te, quando non visitas eos dulcedine & suavitate. A te capti, sunt liberi; quia non volunt te, nisi eo modo, quo tu vis: cumque tu sis unica eorum quies, quærunt te juxta voluntatem tuam, non suam: ac desiderantes te absolutum Dominum, se tibi dedunt sine omni conditione & limitatione, tantum ut liberè te ament, liberi semper ad patiendum, ad te possidendum, gustandum; liberi ad te dimittendum, sed non amittendo; homines in natura, supra homines in operibus gratiæ & amoris tui. O liberam servitutem! ô aurea vincula! ô qui se videret captum à te, amor divine! sed quia, amor meus! miseria mea procùl est à te, fac me saltem captivum spei tuæ: fac in illa sola vivam, illâ reficiar. Tu, Jesu bone! securus portus es, ubi spes fundatur: tu verax in promittendo, pius in miserando, liberalis in donando, securus in implendo, amans in accendendo igne tuo. Cape me totum cum spe, attendam semper ad te, accedam propè ad te, suspirem ad te, & requiescam in solo te, ô amor meus, ô vita mea, ô Jesu spes animæ meæ!

*Amor Jesu
libera ser-
vitus,*

O sacratissima Virgo! tota capta amore hujus Domini, & libera semper in ipso, juva me, ut etiam ego capiar, & semper vivam in illo. O Curia cælestis, tota jam vincita in hoc divino carcere

carcere, & liberâ custodiâ, rumpe hæc miserabilia vincula mea; libera spiritum meum, & illi pulchritudini divinæ, quam intueris, me alliga. Amen.

ÆRVMNA XXIX.

Raptatio Domini per Tribunalia improbrum
Judicum.

I.

Dominus noster, posteaquam in manus hominum venit, suæ Passionis certamina decurrere voluit per ea, quæ humanitus plurimum possent afferre dolorum & molestiæ: cujusmodi fuit, raptari per diversa tribunalia Judicum iniquissimorum, & simul inimicorum. Indignum certè fuit, supremum Judicem ac Dominum universorum judicari à malefactoribus, & vilibus subjici creaturis eum, quem ab homine quocunque sanctissimo & integerrimo judicari fuisset intolerabile, & mirabilis excessus amoris. Quantò igitur gravius fuit, ligatum trahi ab uno tribunali ad aliud, & ejusmodi judicum, qui nihil cum justitia erant acturi, sed omnia ex odio diro & capitali? nescio, quam rem cor humanum possit magis admirari, quàm cum videt personam divinam, etiam secundum carnem gravissimam & sanctissimam, post tot demonstrationes Majestatis suæ, coram quâ terra & mare tremebat, cujus imperio mors & sepulchra reddebant redivos, fugiebant dæmones è corporibus infessis, mare fremens componebat fluctus, lepra & alii morbi fontici deserebant infectos; terra, & infernus absque contradictione parebant; in quo omnia respectum, venerationem, obedientiam ac reverentiam provocabant, qui mirabili modestiâ, maturitate & gravitate micabat etiam inter vincula; eum, inquam, ligatis manibus, fune collo injecto, inter manus lictorum examinari à Judice tanquam maleficum, & ab uno trahi ad alios, aliosque semper peiores prioribus.

II. Obivit hæc tribunalia Dominus tantâ cum patientiâ, tranquillitate ac modestiâ, ut nullâ re turbari posset, vel contristari, neque vel minimùm sacratissimi sui vultûs gravitatem ac mode-